



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 13322648**

§. 68. Cæsaris indignatio contra Genuensem Rempublicam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

nus Rascianorum Capitaneus Bucke-<sup>Sæc. XVIII.</sup>  
restum, populosam Walachix Residen-<sup>A. C. 1716.</sup>  
tiam & ipsum quoque Principem Nico-  
laum Mauro - Cordatum unacum uxore  
sua, totaque familia captivum Herma-  
nopolin abduxit. Ne vero Imperator  
Religionis oblitus videretur, Claudio-  
poli in Transylvania Socinianæ hæresis  
asseclis Ecclesiam claudi, & Catholicis  
restitui iussit, ac ipsemet cum Augusta  
Conjuge sua ad Cellam Majorem peregrin-  
atum ivit, ibique Ciborium pretiosis  
gemmis ornatum cum duabus coronis  
aureis B. Virgini obtulit. Hac demum  
victoria crudele Achmetis Sultani vo-  
tum evanuit, quo obtenta contra Chri-  
stianos victoria, omnia Christiana in  
Turcico imperio mancipia uno die vi-  
ctimas devoraverat, simulque eorum  
dissipatus est timor, qui in malum omen  
vertebant sanguineas lacrimas, quæ in  
Imaginibus B. V. M. in Franciscanorum  
Templo Schut, & in Ecclesia Morna-  
censi prope Hulst, & Viennæ in Tem-  
plo S. Stephani eodem anno mirabili-  
ter visæ dicebantur.

§. LXVIII.

*Cæsaris indignatio contra Genuensium  
Rempublicam.*

B b 4

Jam

Sæc. XVIII  
A. C. 1716.

*Kettel.*

*Decan. VI.*

*pag. 805.*

*Merc. Hist.*

*Jan. p. 16.*

*Leitr. Hist.*

*Jan. n. II.*

*Mars p. 252.*

*Clef. du Cab.*

*Avril. p. 276.*

Jam anno priori Genuensis Senatus e-  
dictum promulgabat, vi cujus cun-  
ctis Barcinonensibus, aliisque Austriacæ  
Domui addictis gladios portare veti-  
tum, Castilianis vero Genuæ degenti-  
bus permissum. Contigit autem, ut  
quidam militiæ Præfectus, qui immota  
fide Cæsari adhæserat, gladio præcin-  
ctus deprehenderetur, qui confestim  
captivus abducitur, etiamsi se sub Im-  
peratoris signis militare opponeret, &  
Cæsareas demandati negotii literas ex-  
hiberet: Judex insuper nomine Ferra-  
rius, omni seposita veneratione hæc  
literas laceravit, non sine contemptu  
asserens, ejusmodi Sygraphas quot  
quot libuerit, pro triginta vel quadra-  
ginta aureis esse venales: Re comperta  
Imperator læsam Majestatem vindicare  
intentus, Republicæ præcepit, ut om-  
nes Senatores quamprimum officio mo-  
verentur & custodiæ darentur, illi vero,  
qui hanc contumeliam Præfecto intul-  
issent, dignitate amoti, Neapolin trans-  
ferrentur, ad triremes damnandi. Equi-  
dem Genuenses Legatum Viennam de-  
cernebant, qui hanc injuriam depreca-  
retur: Cæsar vero hac satisfactione ne-  
quaquam placatus, petiit, ut ipsemet  
Republicæ Dux Viennam excusatum  
veniret, & illi, qui Præfectum capti-  
vum fecerant, ad remiges damnaren-  
tur.

tur: cum vero Genuenses hæc præ-  
 stare tergiversarentur, mox Imperator  
 Viscontium cum sex armatorum milli-  
 bus, & sex belli tormentis in Genuen-  
 sem ditionem immisit; qui quotidie  
 ter mille aureos petebant, ut pauco-  
 rum pœna esset metus multorum: Die  
 autem decima quarta Februarii ad fer-  
 vidas quorundam preces Imperator  
 rem componi permisit; unde Deputatis  
 utrinque convenientibus conclusum, ut  
 Respublica Cæsari sexaginta monetæ  
 aureæ millia solveret, quatuor belli-  
 cas naves contra Turcas instrueret,  
 hujus violentiæ Auctores ad triremes  
 transferret, & Genuenses per Legatum  
 suum se de injuriis esse satisfacturos, Ca-  
 taloniis gladii usum, & liberum salis  
 transitum Mediolanensibus concessuros  
 pollicerentur. Paulopost Franciscus  
 Imperialis præfatæ Reipublicæ Dux  
 mortalitatem exiit, cui Joannes An-  
 tonius Justinianus die vigesima septima  
 Novembris subrogatus est.

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1716.

§. LXIX.

*Solemnia Beatificationis V. Joannis  
 Francisci Regis.*

Cum jam per plures annos super vitæ  
 Sanctitatem, virtutes heroicas, &  
 miracula per V. Joannem Franciscum

*Bullar  
 magn. Clem.  
 XI. Const. 82.  
 pag. 162.*

B b 5

Re-